



**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resvrrrectionem D. N. Iesv Christi

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

Meditatio 37. De duobus latronibus cu[m] Christo crucifixis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59870](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59870)

MEDITATIO
TRIGESIMASEPTIMA.

DE DVOBVS LATRO-
nibus cum Christo cru-
cifixis.

EVANGELIVM.



ET cum ipso crucifixe- *Matt. 27.*
runt duos latrones, *Marc. 15.*
vnum à dextris, & ali- *Luc. 23.*
um à sinistris. Mediū *Ioan. 19.*
autem Iesum.

FIGVRA.

IOSEPH Patriarcha inter duos *Gen. 39.*
malefactores in carcerem est con-
iectus.

PROPHETIÆ.

ET cum sceleratis deputatus est. *Isaia 53.*
Abiectionem posuisti me in medio *Ierm. 3.*
populi tui.

CON-

CONSIDERATIONES.

1. *Punctū.*

VT magis Saluatoris cresceret infamia, inter latrones crucifixus est, quasi similitum scelerum compertus. Medius autē pendet, tanquam dux & Princeps latronum. Vbi animaduerte, nihil quod pudorem & infamiam apud homines afferat, Christo abfuisse, omnes enim ille modos in se experiri voluit. Primum, mortis genus voluit esse tam seruale & infame, vt nullum tunc fuerit magis. Passus est in ciuitate principe totius Iudææ, quam sex diebus antè lætissimo triumpho inuectus erat. Passus est die solemnī Paschæ, quo vniuersa Iudæorum natio Hierosolymam confluebat. Crucifixus ipso diei meridie, vt omnes adessent. Sublatus in sublimi Crucis stipite, vt omnium oculis esset expositus, collocatus medius duorum latronum, vt videretur sceleratissimus omnium iudicatus, passus est loco publicè supplicij destinato, vt ab omnibus pro improbo haberetur. Denique passus loco eminenti, in monte, vt toti mundo spectaculum esset.

Heu execrandam Iudæorum improbitatem! Crucifigunt vt latronem Redemptorem mundi, at ille caritate impulsus

pulsus inter peccatores crucifigi vult, vt se pro peccatoribus supplicia & mortem ferre ostenderet. Deinde à diuina sapientia constitutum erat, vt Christus inter duos latrones esset, vt præsignificaret hoc factò iudicium vniuersale, quo Christus venturus est iudicare mundū. Collocatus igitur erat Christus in cruce, tanquam Rex in sede regia & collocatus latronum medius; quia humana natura, de qua iudicium laturus erat, propter primi parentis furtum, rea erat latrocinij. Melior latro qui ad dextram repræsentabat electos, peior, qui ad sinistram, reprobos, qui in sua obstinatione durantes, ex regula diuinæ iustitiæ damnandi essent.

Considera eum, qui in cælo medius est inter Personas Diuinas; eum in Caluarie monte, te medium videre inter duos latrones, quem in cælo adorant & venerantur Angelicæ mentes, eum à mortalibus haberi & pœnis latronum affici, qui in monte Tabor cū immenso splendore & gloria, inter duos sanctissimos Prophetas apparuit, eum iam *Matt. 17.* vides in monte Caluarie vulneribus & ignominijs summi effectū inter duos sceleratos homines. Video Domine, video, te hoc agere, vt in terris, ex Prophe-

tae oraculo, cum sceleratis reputeris, ut nos in caelum sublato inter choros Angelorum colloces. Tu sane es homo ille, quem amor noster coegit exire, ex illa caelesti Hierusalem, ut in hanc instabilem Iericho saeculi nostri descenderes. Incidisti enim manus latronum, & nunc inter latrones nudus & semimortuus inueniris, neque sane alij sunt latrones, inter quos agis, nisi nostra peccata, quae ut certissimi latrones Deo honorem, tibi vitam eripiunt.

COLLOQVIVM.

PETES à Deo quandoquidem ipse socios in cruce sibi esse voluit latrones, quorum societate ipse iniquus quoque & improbus iudicaretur, pro salute tua: det tibi gratiam, ut quia ipse supremus & gloriosus Deus, se tua causa tantum depressit & abiecit, ut & tu, qui vere malefactor es, & iniquus, non erubescas, sed potius gaudeas haberi pro eo, qui es, & libenter amore ipsius, & in poenam peccatorum acceptes omne dedecus, ut in ipsius gloria tu quoque caelesti honore afficiaris.

DOCUMENTA.

r. **S**ICVT Christus crucifigi voluit amore nostri, inter duos latrones: sic

nos amore ipsius spiritum nostrum debemus crucifigere, inter duos latrones, carnem & mundum.

2. Vt Christus in sua societate toleravit Iudam; in morte non dedignatus est medius esse latronum; decet & nos non indignari, sed tolerare imperfectiores proximorum, neque auersari humiliorum aut nobis inferiorum hominum conuersationem.

3. Quae ab hominibus contra innocentiam nostram, ad opinionem de nobis imminuendam dicuntur, ea patienter ferenda sunt. Nam & Christus innocentissimus, inter latrones crucifigi sustinuit.

4. Quanquam in medio latronum esset, nihil tamen vitij ab illis contraxit, sed alterius conuersione, suam cum illis sanctitatem communicauit. Sic nobis inter peccatores vitam agentibus danda est opera, ut non illorum nobis vitia, sed illis nostra potius virtus adhaereat.

5. Christus nasci voluit inter bruta animalia, viuere cum pauperibus, mori inter latrones. Non sufficit, Christi imitationem professis cepisse cum humilitate conuersionem suam, nisi Christi exemplum ad finem usque vita constanter refugiant ab omni humana gloria, & amplectantur sui contemptum & confusionem.

MEDI-